

À MONSIEUR, MONSIEUR LINNÆUS,

PROFESSEUR EN BOTANIQUE, MÉDECIN DE LA MARINE, ASSOCIÉ DE L'ACADÉMIE DE STOCKHOLM, ETC., ETC.,

À STOCKHOLM.

VIR CLARISSIME, AMICE PLURIMIS NOMINIBUS COLENDISSIME,

Binas Epistolas accepi a te post reditum in patriam faustissimum, per has cognovi et jucundissimas nuptias, et tuam post exantlatos labores summos felicem, in vestrà aulâ, sortem, in medicinâ famam studiis omnibus bene partam, in botanice promeritum munus. De collatis istis beneficiis gaudeo letorque vehementer, nec usquam dubitavi de prospero tuo successu. Sed tamen gratissimum mihi fuit nuntium. Varia quæ edisti in lucem mittenda scribebas, nescio quo fato ad meas manus nequidquam appulerit, expectavi diu, moram iniecit forsân longa itinerum distantia. Si ea ad me deferenda opera cogites adhuc, simul et libros de quibus loqueris pro Dantio nostro, per legatum apud vos Regis Christianissimi nostri mittere poteris, et cito venient optatissima munera summæ tuæ erga nos benevolentie. Hac occasione utar deinceps, aut D. D. Comiti illustrissimo de Tessin tradam quæcunque a te expostulata cognovero. Accipe interim recenter evulsas Orchidum radices, leve quidem grati pectoris memoriæ signum. Non rediit frater meus Peruvianas qui lustrat plagas, illum servet redeuntem Deus ter Optimus Maximus. Plumieri opera quæ volebam publica facere hæc nondum prodire nec prodibunt antequam, novo ordine digesta,* methodo naturali accommodata fuerint, vel ad methodum naturalem magis composita accedant. Examini

Parisinis, tum imperiali, tum musæi hist. naturalis. Auctor minimam tantum partem tot novorum edidit, maximam, cum quartum in Americam iter appareret, defunctus ineditam reliquit. — Antonius de Jussieu ex autographo hortii exemplari plantarum Americanarum descriptiones transcripserat et icones plusquam octingentas ex archetypis exprimendas curaverat, materiam operis a Bernardo suscepti, vix tamen inchoati nedum perfecti. Earumdem alia ac nostrum, minus completa tamen, exemplaria extiterunt in diversis bibliothecis, ut Banksii et antea Boerhaavii, qui tabulas Plumieranas 508 per Aubrietum repictas obtinuerat, quas serius Joh. Burmann sibi comparavit vulgavitque sub titulo: *Plantarum Americanarum fasciculi 10 continentes Plantas quas olim C. Plumierus detexit atque in Antillis ipse depinxit, edidit, Descriptionibus et Observationibus illustravit J. Burmann. Amstelodami. 1755 – 1760. fol.* Iconum Plumieri autographarum, elegantissimarum amplissimarumque, sæpe fragmenta tantum in opere Burmanniano suppetunt. Recentius in libro de Palmis splendidissimo celeb. de Martius species Antillanas e manuscriptis nostris deprompsit et publici juris fecit. Nihilominus servandum totius operis a Bernardo nuntiati et a Linnæo expetiti desiderium.

* Bernardus methodo naturali intentus, in eâ jamnunc non parum profecisse videtur, quam nitatur ad nova genera speciesque ordinanda extendere. Plumierus suas plantas absque statuto systemate disposuerat, nunc affinitate naturali similiores, ut Filices et Palmas, consocians, nunc tantum caractere artificiali, ut scandentes, bulbosas, &c., &c.